Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1025
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



debitor sum amare. utique saltem desidero
te tantum. quantum debeo amare. Illumina
tio mea. tu uides conscientiam meam. quia domine
ante te omne desiderium meum. et tu donas si quid
bene uult anima mea. Si bonum est domine quod
inspiras. immo quia bonum est. ut te uelim amare.
da quod me facis uelle. da ut quantum iubes.
tantum te merear amare. Laudes et gratias tibi
ago pro desiderio quod inspirasti. et laudes et pre
ces offero. ne sit mihi donum tuum infructuosum.
quod tua sponte dedisti. Perfice quod incepisti.
dona quod me benigne preueniendo immeritum
desiderare fecisti. Conuerte misericordissime.
meum teporem in feruentissimum tui amorem.
Ad hoc clementissime tendit hec oratio mea.
hec memoria mea. et meditatio benefici
orum tuorum. ut accendam in me tuum amorem. Tua
me domine bonitas creauit. tua misericordia creatum
ab originali peccato mundauit. tua pa
tientia post illam emundationem baptismi
in aliis peccatorum sordibus uolutatum hactenus